

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

Sobrius esto, & memineris non temere credere: haec sunt membra  
mentis. Emblema XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπισεῖν . ἄρ' ἴδρα ταῦτα τῶν φρενῶν .  
 Sobrius esto, & memineris non temerè credere :  
 hæc sunt membra mentis .

EMBLEMA XVI.



**N**E credas, de ( Epicharmus ait ) non sobrius esto :  
 Hi nerui humana membraque mentis erunt .  
 Ecce oculata manus, credens id, quod videt : ecce  
 Pulegium antiqua sobrietatis olus :  
 Quo turbam ostenso sedauerit Heraclitus,  
 Mulserit & tumida seditione grauem .

COMMENTARI I.

I. **R**Ecè habet se manus oculata; sed simplex illud quoduis aliud potius representat quàm pulegium: elegantius multò habet editio Rouilliana. Sanctius epigraphen Emblematis Latinâ apponit.

Sobriè viuendum, & non temerè credendū.  
 DVO hic præcepta cuiq; honesti studioso traduntur, nimirum vt sobrietatem amet, & credulitatem leuem & temerariâ vizer: quam ad rem duabus ( suo more )

II.

NOTIS

M. Tullij locus, unde petita est Emblematis epigrapha.

notis vitur, nempè pulegio, & oculata manuillo quidem, vt sobrietas paruo contenta significetur: hac verò, qua rerum certarum fides intelligatur. Cicero 1. Epistolar. ad Atticum; carmen hoc Græcum citat: Priuatis rebus meis, inquit, propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malorum, odium in me improborum, adhibeā quandam cautionem & diligentiam; atq; ita Siculus insufurret Epicharmus cantilenam illam suam:

Νῆφε, καὶ μὲν αὖ σο ἀπιστεῖν ἄρδρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Ac nostræ quidem rationis ac vitæ quamdam formam, vt opinor, vides. Hoc carmen alij hoc modo citant:

Νῆφε, καὶ μὲν αὖ σο ἀπιστεῖν ἀνδρα φρονεῖν ταῦτα. id est.

Esto sobrius, & memineris virum, qui sic sapiat, non oportere esse credulum. Sed quia Erasmus deprauatum versiculum testatur in adagio: Nemini fidas, nisi cum quo prius modicum salis absumpseris. sic ille de vestigijs codicum hoc carmen Trochaicum restituit:

Νῆφε, καὶ μὲν αὖ σο ἀπιστεῖν, ταῦτα νεύρα τῶν φρενῶν.

Nam quod γὰρ dixit, pro νῆφε, & μὲν αὖ σο, pro μὲν αὖ σο, dialecti proprietates est. Alteram autem partem idem Cicero usurpauit lib. De petitione Consulatus: Quamobrem, ait, Epicharmion illud teneo, nervos atq; artus esse sapientiar, non temerè credere. Relatum est etiam ab Alciato nostro lib. Parergon 4. c. 8. Revertit etiam id Epicharmium Clemens 4. Stromat. & ad institutum Christianum accomodat. Sed de his mox dicemus plura, in quarta classe.

III.

NE credas temerè, vel adeo facile. Conuenit cum Epicharmi sententia Theognidis versiculus:

Πίσεις χημάς ὄλεσα, ἀπιστεῖν δ' ἰσάωσα. Eiso res perijt, diffiso salua remansit.

Licet nemini fidere sit inhumanum, omnibus verò fidere stultum. Quare pulchre Hesiodus:

Καὶ κασιγνήτῳ γελᾶσας ἐπιμάρτυρα δ' ἴσθαι.

Πίσεις δ' ἀρα δμῶς, καὶ ἀπιστίας ὄλεσας ἀνδρας, id est:

Si quisquam cum fratre tibi, est, testem adijce rebus,

Subridēs, nocuit non credere, credere semper.

Seneca epist. 3. lib. 1. Vtrumq; enim vitium est, & omnibus credere, & nulli. Vide paræmiam, Fiducia pecunia amissa.

Epicharmus] Epicharmus Siculus, vt ait Diogenes Laertius, Elthalis filius, Pythagoræ discipulus, Philosophus & poeta, Comœdiæ inuentor, teste Suida.

Ne non sobrius esto] Esto sobrius: duo enim negata vni affirmationi æquivalent,

Nervi, membraque] ἄρδρα, νεύρα, τὰ μέρη. Metaphoræ, quibus vim vtilissimi præcepti illustrat. Nam ῥῶμην ἰσχυρῆς σαφροσύνη, vt refert alicubi Stobæus. Quo sensu dixit Iulianus, genericum virtutum frugalitatem. Sic Cicero pro lege Manilia, neruos Reipub. appellat milites, classes, vestigalia, quod in his consistat omnis Reipub. humitas. Sic apud Demosth. νεύρα πολεμῆς τὰ χημάτα. Fabius lib. 1. mollem educationem nervos omnes animi & corporis frangere. Et Dion in Vespasiano: Pecunias nervos esse imperij semper dixerunt. id est, νεύρα γὰρ τῆς ἡγεμονίας τὰ χημάτα ἀείποτε εἶναι ἔλεγον.

Ecce] Demonstrandi nota rectè iugitur enim manu oculata, quæ credit id, quod videt.

Oculata manus] Adagium, quo rei certitudo significatur. Oculatas enim manus dixit Plautus, quæ promissa velint exhiberi re, non oratione promitti. Nam oculos habere, quibus videant exhibita, aures non habere, quibus audiant pollicitationes. Ita lena quadam in Afinaria adollescenti aureos montes pollicenti, cum illa nihil comoueretur promissis, inquit:

Quam à pistore panem petimus, vinum ex œnopolio,

Si as habent, dant mercem: eadem nos disciplina utimur.

Semper oculata nostra sunt manus, credunt quod vident.

Idem in Pseudolo: Ene die caca hercle oliuum, id vendito oculata die.

Oculata die aliquid vendere, est presentia pecunia vendere. Vim prouerbij videtur expressisse Terentianus ille leno Sannio in Adelphis:

Verum ego nunquam adeo astutus fui Quin quidquid possem, malletm auferre potius in presentia.

Hæc quoque alludit Cherea in Eunuchis: Fac sis, nec promissa appareant.

Epicharmus.

Sobrietas animi vrbur. Nervi Reipub.

Oculata manus.

Oculata die vendere.

Et Propert. lib. I.

*Cui nō ante patet, donec manus attingit.*

Idem Plautus in Truculento:

*Manus vetat priusquam penes sese habeat, quicquam credere.*

Imò & sacre literę admonent, non omni spiritui esse credendum.

*Credens id, quod videt.* ] Herodorus, ὅτα ἰσχυράνε ἀνδράποισιν ἔορτα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν: Aures sunt hominibus magis incredulę, quàm oculi. Proinde laudatur illud Theocriti:

*μη πιστευστέριον, πρὶν ἀρκεῖος πέρους ὀφθαλμοῦ.*

*Ne crede cisisimè, ni prius finem videas.*

Cuius sententię vim tenere debet qui versantur in Rebusp. & negotijs grauioribus implicantur, sed maximè temporibus periculosis. Si enim propter amicitiam multorum fucata vix fratri fides interdum sit habenda, perpetuò meminisse debemus

Pythagoricę partemię, *Ne cuius dextram inioceris*, quandoquidem hominum ea sit improbitas & verlutia, vt non modò sermo, sed & frons, vultus, & oculi ipsi perpere mentiantur. Apollonius rogatus à rege

Babylonie, qua ratione quietus in suo principatu perduraret: Si, inquit, paucis fidem habueris. Nulla enim regibus maior pernicies impendet, quàm cū delatoribus facilem ad se aditum prebent. Plato de Repub. magistratum optat, qui sit

*ὅτα διατὶ θρυλάλιμος*, id est, qui aures obtusas habeat ad rumores & fabulas populares. Addam & id Plautinum è Truculento:

*Non laudandus est is, qui plus credit quā audit quā*

*Qua videt; non placet, cū illi plus laudant quā audiunt,*

*Quā in qua vident: plaris est oculatus testis vnus, quā auriti*

*Decem qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt.*

Quod tamen non probatur Apuleio, in initio Floridorum, qui vt inferuiat argumēto quod tractat, plus fidei aurium quā oculorum esse adhibendum vult. Huius hæc verba: Non itidē maior meus Socrates: qui cū decorum adolescentem, diuque tacentem conspicatus esset: Vt te videā, inquit, aliquid eloquere. Scilicet Socrates tacentem hominem nō videbat: etenim arbitrabatur homines non oculorū,

sed mentis acie & animi obratu considerandos. Nec ista re cum Plautino militare conguebat, qui ita ait: *Pluris est oculatus testis vnus, quā auriti decem.* Imò hunc versum ille ad examinandos homines conuerterat: *Pluris est auritus testis vnus, quā oculati decem.* Atqui si magis pollerent oculorum quā animi iudicia, profectò de sapientia foret aquila concedendum.

Homines enim neq; longè distita, neque proximè adfita possumus cernere, &c. Apuleius tamē aliò sententiā torquet, vt dixi, neq; propriè contrarium quid Plauto statuit, sed certè dissimile. Vide Prouerb.

*Oculis magis habenda fides, quā auribus.* Ad rem redeo. M. Tullius in Laelio: Hæc in fabulis stultissima persona improvidorū & credulorum senum. Non minimum commēdarunt *ἀπιστίας* quidam ex veteribus, nō quidem vt omninò fidem omnibus abrogemus, sed vt nullo non loco circūpecti sumus, videamusq; quatenus dextra sit huic vel illi admouēda. Demosthenes hæc

*ἀπιστίαν* vnā ait omnibus qui sapit concessam à natura custodiam salutis & fortunarū. Sed de his iam iam latius agemus.

*Pulegium* ] *Pulegium* Græcè γλήχων, *Pulegite glechon*, seu *glachon*: Cuius vires permultas habet Plin. lib. 20. cap. 14. & Apul. De herb. virt. cap. 92. multa. Ceterum, *pulegio*, vitia stomachi tolli, testatur Dioscorides lib. 3. cap. 31. *Ναυτίας τε, καὶ δηρμῆς σομάχε μετὰ εὐχρηράτῃ ποτίσασα παραμυθεῖται.* hoc est: *Nauseas & erosiones stomachi in posca* (id est, vino, quod a *Posca* & aqua temperatum est) *bibitum lenit.* quod

Dixerat autē, hanc herbam esse *λεπυντεκνήν, θερμαντικὴν, καὶ πεπτικὴν*, id est: *extenuantiā, calefactiuā, & concoctionis adiutricem.* Vide epigramma Græcum lib. 2. εἰς θεοδωλῆς.

*Ὀυ γλήχωνι κρίτων ὀφθαλμοῦρος, ἀλλὰ διχάκω*

*ἀυτὸν ἀποσφαίνει θλιβομένη σομάχε*

Quod ita vertit Sanctius: *No glechone Criton, est sordidus eris odore, Vexatum stomachum saepe dolore leuat.*

*Antiqua sobrietatis* ] qua veteres, homines frugi, & rerum parabilium appetentes vivebantur. Est autem *pulegium* siti & vinoleritię contrarium. De veterum frugalitate lege Valerj Max. lib. 4. c. 4. & lib. 7. c. 1. Nā, vt ait Horatius 2. Carm. Ode 15.

*Privatis illis census erne breuis,*

Oculorū iudicium præpollens iudicio aurium

Pulegite

Posca

Frugalitas veterum

Com-

Non statim fidem

Commune magnum.

Plinius epist. 22. lib. 7. de Caetilio Seueror: Quam parcus in victu? quam modicus in cultu? Soleo ipsum cubiculum eius, ipsumq; lectum, vt imaginem priscæ frugalitatis, aspicere. Ipsius autem Plinij frugalitatem habes lib. 2. epist. 6.

Olus.

Olus ] λάχανον. Olus dicitur omnis herba satiuæ, ab alendo, quod veteres ole-ribus alerentur, antequam essent repertæ fruges; ijsq; vescabantur absq; luxurioso condimento, vnde prouerbum, τὸ ἐν λάχανοῖς πῖπερι. in oleribus piper; pro re ingrata & insipida. Hinc quoq; olus pro tenui & quotidiano victu nonnunquam accipitur. Horatius 2. Serm. Sat. 7.

In oleribus piper.

si nusquam es forte vocatus

Ad cenam, laudas securum olus.

Et quia ægrotantes plerunq; tenui egent victu, eos oleribus curatos fuisse constar ex Plinio, & Plauto in Capt. vbi Hegio Parasitum inuitat ad cenam terrestrem, multis oleribus. Cui ille respondet: Curato agrotos domi. Inde Heluones antiquitus propriè appellati; nam helus, veteres dicebant pro holus. Quia verò ægroti nauseabundi valde sunt, fastidiosiq; & delicati ciborum arbitri, hinc postea translata ea vox ad homines delicatos opiparosq; qui magnas pecunias in dapes profunderent; non in voraces, quod hactenus à plerisq; falsò existimatum.

Heluones qui propriè.

Heraclitus. ] Heraclitus in seditione quadam rogatus à ciuibus, vt concordiam intraderet, suggestum ascendit, calicem frigida compleuit, infusam digito farinam misceuit, vnà cum pulegio, idque bibit, & hinc discessit: nimirum re ipsa loquens, plerunq; seditiones ex luxu rerumq; superfluarum vsu oriri: inter eos autem facile constare concordiam, qui modicis ac tantum necessarijs essent contenti. Nam δειπνογάρ ἰυτελὲς ἔ ποιεῖ παροινίαν. id est:

Vbi cæna frugi est, nulla debacchatio. De Heracliti factò vide Plutarchum de garrulitate, Erasmmum in Apophthegmatis lib. 8. Commentatores Diostoridis, in verbo, Glechon. Cœlium item Rhodig. lib. 13. cap. 5. Vide quoq; adagium, Thymbra visitans.

Magna vis est orationis non

Quo turbam, &c. ] In eo nonnullis forte ille σκοτεινὸς habendus est Heraclitus, id est, tenebrosus; sed certè hac ambage, &

symbolis aphonis plus fortè persuasit, quàm alius quispiam oratione prolixissima. Siquidè πολλῶν πάνυ καὶ μακρῶν περιέδων ἐν βήμα καὶ νεῦμα πῖπει ἔχοντος ἀνδρῶν τε κυριώτερον ἤ γῆραι: Plerumq; vir, cuius perfecta fides est, vno verbo vel nutu longas aliorum orationes superat.

Sic enim fidem fecit Amasidi Pittacus, cū linguam immolatiuæ victimæ remisit, tãquam membrum omnium vel optimum, vel pessimum. Sic Anacharsis, de quo iam supra diximas, cum apud Solonem re- per- tus est eo gestu dormiens, vt dextram haberet admotam ori, sinistram pendens; vt significaret, maiore studio & cura linguam esse cohibendam, vt partè omnium maxime rebellem. Quid enim vel Sciluri facinus ad concordiam suos liberos adhortantis; vel Tarquiniij Superbi summa papauerum capita baculo decutientis, huc commemorem, cū hæc iam vulgò cita sunt?

Pittacum.

Anacharsis.

Scilurum.

Tarquinus Superbus.

Olim enim cū nondum Platonis opera, vel Cameadis, aut Chryssippi sapientia loquax esse didicisset, omnia breuibis oraculis, aut symbolis, interdumque ἀφάγοις, non minus commodè tradebantur, quæ pertinere ad vitæ humanæ cultum & informationem. Sed audiamus Plutarchum ea de re studiosè commentario περὶ ἀδολεγίας differentem: οἱ δὲ, inquit, συμβολικῶς ἀνευ φωνῆς ἀ δειπνάζοντες ἐκ ἵππων ἔνται, καὶ θαυμάζονται διαφρέντας, ὡς ἠρακλείτος, ἀξιοῦντων αὐτὸν τῶν πολιτῶν γνώμην τινὰ ἐπὶ τῶν περὶ ὁμοιοῦς ἀναβάς ἐπὶ τὸ βῆμα, καὶ λαβὼν ψυχῆ κύλικα, καὶ τῶν ἀλφίτων ἐπιπάσας, καὶ τῶν γλήγωνι κινύσας, ἵππων ἀπὸ πῆθεν. ἰνδὲ ξάμενος αὐτοῖς ὅτι τὸ τοῖς τυχεῖσι ἀρεῖσθαι, καὶ μὴ δεῖσθαι τῶν πολυτελῶν, ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμοιοῦς διατηρεῖ τὰς πόλεις.

Turbam grauem tumida seditione ] Populum, vel plebem tumultuantem, iamq; ad seditionem se comparantem.

Mulserit ] mitigat, lenierit. Mulcere enim est delinire, quasi mollicere, hoc est, molle reddere. Hinc Mulciber dictus Vulcanus, quod molliat ferrum, ac mitius red- dat. Et Mulsium, quasi melle delinitum.

EMBLEMA hoc frugalitatem & sobrietatem suadet, temerariam verò credulitatem disuadet, de quibus duobus si cū doctissimo Minoe paulò latius diffundar, facile me veniam impetraturum confido

gra-

Mulcero

Mulciber.

Mulsium.

IV:

praefatio  
1. De  
Veni  
quæ  
viam  
dram  
modica  
viam  
augustin  
homin  
les: Ac  
inuen  
armon  
e dicit  
lis aut  
vener  
ca esse  
pauca  
n. s. r  
qua i  
reque  
uam  
quon  
suar  
suar  
te, r  
ferta  
tu  
tu  
&  
o  
e  
fo  
fo  
ne  
ce  
be  
vt  
res  
fita  
y  
am  
rue  
de  
pe

De frugalitate.

præsertim in re tã vili, addo & necessaria.  
 1. De frugalitate M. Tull. 3. Tuscul.  
 Verisimile illud est qui sit temperans,  
 quem Græci σώφρονα appellant: eamque  
 virtutem σωφροσύνη vocant: quam so-  
 leo equidem cum temperantiam, cum mo-  
 derationem appellare, nonnunquam etiã  
 modestiam. Sed haud scio an rectè ea  
 virtus frugalitas appellari possit, quod  
 angustius apud Græcos valet, qui frugi  
 homines *φειδύπιοι* appellant, id est, vti-  
 les: At illud est Latinis abstinentia, omnis  
 innocentia, quæ apud Græcos *νίκατος*  
 nomen nullum habet, sed habere potest  
 et *Βράχεται*, nã est innocentia affectio talis  
 animi, quæ nocet: nemini, reliquas etiã  
 virtutes frugalitas continet: quæ nisi tanta  
 esset, & si his angustis, quibus pleriq;  
 putant, teneretur, nunquam esset L. Pison  
 s eegnum tantopere laudatum. Sed  
 quia nec qui propter merum præsidium  
 reliquit, quod est ignavia: nec qui propter  
 avaritiam clam depositum non reddidit,  
 quod est iniustitia; nec qui propter teme-  
 ritatem malè rem gessit, quod est stultitia,  
 frugi solet appellari: eo tres virtutes,  
 fortitudinem, iustitiam, prædèciam fruga-  
 litas complexa est, etsi hoc quidem com-  
 mune est virtutum: omnes enim inter se  
 nexæ & coniugatae sunt. Reliqua igitur  
 & quarta virtus, ut sic ipsa frugalitas ne-  
 cesse est. Hactenus ille de vi verbis; nos ad  
 rei notionem veniamus. Rectè Apuleius,  
 sobrietatem dicit esse sapientiæ omnis pri-  
 marium fundamentum, quod in se virtu-  
 tum omnium semina continet: nã sobrietas  
 temperantia species, prudentia comes  
 est, in perspicacia veri, falsique, tum in de-  
 lectu habendo rerum bonarum ac mala-  
 rum; ea fortis est, quæ voluptatum illece-  
 bris non capiatur, & iustitiam colit, quam  
 in se primum servat, alijs etiam tribuit. A  
 sobrietate itaq; suam philosophiãdã rati-  
 onem Pythagoras orsus est, cum quibus,  
 certisque de causis ab esu carniùm prohi-  
 beret. Quod adeo multis probatum est,  
 ut pleriq; inde facti meliores, ac cultio-  
 res, sapientiae latices imbiberunt: alij super-  
 stitiosè Pythagoram æmulati in totum re-  
 pudiarunt esum carniùm, & animantia  
 muta, ut impura crediderunt: quo de nu-  
 mero Eucratia, deliri quidam hæretici,  
 de quibus Epiphanius. Sobrietas virtutum  
 penè omnium seminarium est: quam vna

qui habeat, & ceteras etiam facillimè hæ-  
 buerit. Plato in Charmide temperantiam,  
 vitæ hominum custodem appellat. In  
 Gorgia præcipit, ut qui sanus ac beatus es-  
 se velit, hanc virtutem exerceat. Et Xeno-  
 phanes nihil in homine nasci mali posse,  
 qui temperantiam fuerit amplexatus. Ita-  
 que quotquot sapientes olim habitũ sunt,  
 temperatissimi prædicantur: ut Socrates,  
 qui quodd tenui victu esset, ea peste sanis-  
 sima tactus non est, quæ Atticam inuasit.  
 Et Plato apud quem cum nobilis impera-  
 tor Timotheus cœnasset, moderatis cibis  
 exceptus, postridie illi factus obuius, dixit:  
 Qui apud te, Plato, cœnant, sequenti die  
 bene se habent. Nominatur & Pythagoras  
 inter sobrios, qui etiam dicebat: Venter  
 pinguis non gignit sensum tenuem. Idem  
 cum offendisset aliquem insigniter obe-  
 sum: Non desines, inquit, tibi molestiorè  
 carcerem struere? Prætermitto Græco-  
 rum veterum frugalitatem laudatam sa-  
 pientibus, qui semel tantum interdum epu-  
 larentur. Erga Plato delatus in Siciliam,  
 cum nullum isthic patriæ frugalitatis ve-  
 stigium obseruaret, admiratus est insulae  
 corruptissimæ deprauatum morem, que-  
 madmodũ refert ipsemet in epistola qua-  
 dam ad Dionis propinquos. Apud veteres  
 Romanos, frequentior pultis vsus, quam  
 panis fuit, & corũ bonæ valetudinis quasi  
 quedam mater erat frugalitas, inimica lu-  
 xuriosis epulis, & aliena nimia vini aban-  
 dantiæ, & ab immoderato Veneris vsu auer-  
 sa. Val. Max. lib. 2. cap. 5. Non est quod sic  
 verbis multis augeamus frugalitatem Caij  
 Fabricij, Coruncani, Curi, quos celebrat  
 Tullius: hæ enim virtutes fuere potius  
 temporũ, quam hominum. Probatum,  
 me quidem iudice, modestia vel Agasclis,  
 de quo Aufonius, & Plutarchus: vel Ner-  
 uæ Goccei, boni Principis, de quo Vale-  
 rius Martialis. Solènia olim fuere niph-  
 alia, Iunonis sacra, quæ abstemia à matro-  
 nis abstinentijs celebrabatur, ut matronæ  
 memores essent, quam Deam colerent, quæ  
 eas moneret sobrietatis, ut quæ sit indiu-  
 dua pudicitia comes. Non transillio, quod  
 receptum moribus, ut nõ nisi à ieiunijs iu-  
 diciæ exerceantur reorum capitalium, ut  
 meminerint, se ad rem seriam accedere, &  
 in qua de hominis agatur capite, de quo  
 non nisi prudentissimè, & maximè sobriè  
 cognoscendum. Id adijcio, Baccho, Deo  
 tenu-

Sobrietatis laus.

Niphalia sacra.

Iudices sobrij.

temulento, tum papauer, tum ferulam olim  
tributam legimus, erudito sanè figmento,  
vt vini vñ ob oculos poneretur; papauer  
somnia conciliat, vt mero plenus sai ob-  
litus, dare se somno debeat, suam vt spon-  
taneam infamiam tegat: ferulam vero ca-  
stigationis notam, vt intelligant ebriosi, se  
peccata dignos citius quàm misericordia,  
qui se sponte in id discrimen comierint.  
Eadem prudentia fuit apud sapientes ve-  
teres, dum præfigerent annum luctus ma-  
trionis, quæ viros amississent, ne scilicet an-  
te annum post mariti mortem properaret  
ad secundas nuptias, ne fieret consilio san-  
guinis, l. 8. ff. de his qui mor. infam. Jul.  
Paul. 1. receptor. sentent. tit. vii. Multa huc  
conferti possent ex Decretal. Pontificum,  
de penitent. & remiss. sed hoc studiosis pen-  
sum imponimus. Addo ego postremo, nul-  
lam virtutem ad Nature leges sic esse com-  
positam, quam frugalitatem. Inquirenti-  
bus in nos sagaci mentis oculo, vti qua-  
dam apparebant obscuriora. & in recessu,  
quædam in aperto & frõte posita, & quasi  
manu prehenda, crassa, supina; de quo  
luxus & largior honorum profusio, vbi  
nec ratio suadet, nec postulat necessitas,  
saturando, vestiendo, protegendo cor-  
pori, & ab incommodis supernè delecto-  
rum imbrum, caloris & frigoris, vindi-  
candi. Non sudandum magnoperè pro-  
his, nec Oceano diuise gentes aduenda,  
quæ à Solis cubilibus ministrant exotica,  
si relegata in vltimas terrarum otas in-  
temperie hac, moderamen nature, & quod  
dicitur sequamur, quæ in excessu laborat  
& frangitur, amica frugalitatis. Non que-  
rit superflua, imò nec fert, modis quibus  
expellat & se exoneret, prouidè corruptio-  
nis, vtiliter inuenit. Videmus, hoc in ele-  
mentis, & quicquid coalescit eorum con-  
nexionem, in animabus, metallis, stirpibus,  
excernunt si quid aggrauat, & deiciunt  
superflua. Crepat nubes nimio humore pre-  
gnans, rarior à temperato humido ipso  
motu & agitatione paulatim se consumit,  
& miscet aeri. Non libratur diu vaporum  
& terrestrium densior ibi globus, nec molem  
sustinet stabile subiectum pendens mate-  
ria, vincitur copia, & cedit reuerti tadem.  
Hinc nix, pruina, giando, fulmen, rores,  
nimbi, pluuia, ignita spectra, cadentes stel-  
lae, quæ purgamenta non incommode ap-  
pelles, & proluuiem velut quandam satu-

Tempus  
luctus.

Frugali-  
tas ad le-  
ges natu-  
re compo-  
sita.

Natura  
vbiq; su-  
perflua  
excernit.

rate & parturientis auræ, quam cogit ad  
egestum Naturæ, & vsus vniuersi. Deinde  
illud ipsum, ex quo talia, nonne pars Oce-  
ni fuit, aut fumantis terræ, secretionè reie-  
cta? Exudat inutilis mador scilicet, admix-  
tus pingui fixculoento & viscoso, de magno  
hoc & infimo mundi corpore, quem ad lã-  
bit sol, atq; attrahit, vt vel dissipet radiotũ  
iactu, aut reuiberet, exuberante malsa,  
subactum & coelum aliter, eundem re, di-  
uersum aspectu & dispositione. Steriles  
herbæ luxuriant passim & noxia gramina,  
non iussa crescere prouocante semine, sed  
coacta exire, vitiosa: vligini sic quasi exco-  
lande, & purgando terrestri vtero, ad con-  
cipiendum meliorem fetum. Metallarias  
iatremus cavernas, vbi foex impurior, &  
sordida superfluitas inter ramenta aurea  
& venulas desidens ad segregationem, ex-  
trudente vi intrinseca connascentis precij,  
sensum itura, se ostentabit. Nec in stirpium  
excrementis propellendis Natura segiori  
capillamenta quædam, cinnos, aut floccos  
præmittunt arbores, & musco se operiunt  
ac viridi lanugine, priusquam germ. nent,  
purgantis se medullæ, & inuicem succum  
secerentis manifesto signo. Age verò, quã  
prouidè in nostro deniq; cæterorum ani-  
mantium corpore canales istos egestionis  
superflua disposuit, ne collectis velut in  
cloaca sordibus, exitu intercluso, corrup-  
peretur situ, & putresceret? Huc aurium  
nariumq; quadris foræ porte faciunt, & tu-  
bus maior deferendis excrementis, & vri-  
naria fistula angusta ac breuior, & fornicule  
traiectæ cutis, puncturis similes, sine nu-  
mero, sudori deiciendo, & porta ipsa præ-  
toria, reciproci vsus, gurgulio, inuicem  
excutis cibi vehiculum: cumq; vel inte-  
storum volumina turgent, obstructa in-  
eritate flatu, aut venarum cutipi noxio san-  
guine, naturæ a mulla ars clysteres præpa-  
rauit & scalpellum aperitioni. Adeo vias  
omnes ac modos disposuit sedula mater se-  
greganda copiar, vt in tenore suo, men-  
sura atq; ordine consistere & conseruaren-  
tur singula, ne vel defectus noxam, vel ex-  
cessus pareret. Modus in medio & medio-  
cri, virtutis titulo & laurea dignus: extre-  
ma laborant, nec sana sunt, nec ad sanita-  
tem adminicula, quæ abundant præfertim,  
fomenta lasciuie. Sacra Frugalitas placat,  
sax luxuria & sarculum runcandis sar-  
riendisq; siluescentis mali quisquiliis, que

Mentis  
pro excre-  
mentis in  
hominis.

Virtus in  
medio co-  
sistit.

lola

fola prudenter, quousq; progredi liceat, quid ornatus corporis, quid alimēta, quid structurae sumptuum efflagitet, subductis calculis computat, & per gradus vitæ ac honorum sic partitur, vt laxiorem manum potentioribus, & qui in aliquo fastigio eminent, relinquat; contrahat cæteris de inferiore sorte, & iubeat coercere vanitatem, compresso paululum surgenti spiritu. Si confusio in his, vbi ordinum discretio & dignitatum? vbi autoritas, & veneratio? Vilefcunt æqualitate hac & perdunt splendorem, dum conditionis suæ limites, quisque transfiliens, supra vires & opes per ambitionis scalā astringit. Corruptionis hoc publicæ, imo perditionis extremæ seminarium sit. Veritat in proprium sinum oculos quilibet, videbit quid, aut quantum liceat: à censu enim & statu hic temperandus affectus. Violenta sunt, quæ cum immodico appetitu, & ordine inuerso fiunt; naturam enim aut destruunt, aut vitiant & corrumpunt, quæ metas suas habet ac limites, intra quos cõsistit moderabili ac determinata inclinatione ad ea quæ nutriunt, firmant aut seruant, sine excessu, cum mensura & lege aliqua, quam nefas transire salua illa. Vis inferitur, intēpestiuo rerum vsu ac superfluo, quibus voluptatem mortalium insania scilicet circumferbit, & miseriam felicitatis titulo falso indigat. Onera enim sunt, & corruptelæ, quæ tumultuaria oblectatione & in fidiola sic confunduntur, vt naturam velut in gyrum agant, & non solum offendant, sed opprimant copia. Obuium & parabile est, quod appetit, nec indiget nauigij, quibus ex altero orbe transmarina apportentur: reserunt, quæ alant & sufficiant, in omni loco: quæ saturent nauseam in abundantia, nulla regio dabit; illa enim necessitate, hæc desiderio præpostero, in quo varietas & nouitas, efflagitantur: ibi naturalia & gratuita quæ sedant, hic importuna ac molesta irritant. Venter ad legem naturæ compositus, paruo dimittitur, si quod debetur accipit: qui volatilibus lauticias decoxit, & de piscium genere selectiores, non placatur solenta ac bubula, extraordinaria enim fames vrit, quæ non tam castiganda vt silcat, quam prouocanda ciborum delectu, vt minori cupiditate sopita maiorem resuscitet, nouo quodā & ingenioso gula iruitamento, in dō tormento

verius. Supplicium certè est habere ingluuiem, quæ nisi exhaustis, siluis, & fluminibus, nesciat pasci, quæ respuat domestica, inhiet peregrinis & exoticis. Flammæ cõfero & occulto igni hoc torturæ genus, quæ, vt podagricus humor, stillicidio fouetur de meliore hoc succo obsoniorum. Si suffocare vis, tempera, & viue ad regulam quam natura dicit: vbi luxuries aliqua & superfluitas, præscinde ac demere, & cogita, salire per medios campos riuulum, qui remedio sit huic incendio: proferre in agris & hortulis, quæ doment esuriæ, & corpus natia virtute vegetent, quam terra inserit, & fabricator huius Deus. Neminem adhuc fames consumpsit, qui glutire libellam panis, & fontanam bibere potuit. Ad lac & pulcem nascimur omnes, innutrimur his à tenetis: quis culinaria officia, & magyricas artes insolentem stomachum traduxit, nisi curiositas & nausea? Quid? desperatio, vt ego quidem atteror, prima magistra fuit focarij huius artificij, quæ præscriptos continentie fides trāsfilire, & polyphagiæ studio rimari omnes mundi angulos, cum abiectioe quadā & contemptu vitæ, temeraria persuasit. Qui primus concham marinam aperuit, ostrea, & rubetas ponticas, vt cocta conuiujs inferret, desperatum fuisse & proiecte audaciæ hominem, necesse est: nec meliorem illum, à quo detracta cutis anguillæ, & cancro sua testa, fluiatili colubro scilicet, ac scorpioni, & qui fungos præparare, & carduos altiles docuit, quorum illi studinum, asinorum isti proprij sunt. Quæuis verò in ranis & conchilijs terrestribus nihil, quod piscis speciem referat, simile, cum his nec ossicula in sint aut spinæ, illæ squammis & branchijs careant; extracta sunt tamen ex cauernulis suis & lacynis animalcula hæc, & pisculentorū catalogo, propter exiguam buccellam, quæ inest vitidis, & ad cõcitandam libidinem effica, inferta. Vt iam nullum pene sub cælo genus viuētiam sit, quod in voraginē ventris humani & cloacæ insaturabile, nouo artificij sumptu & precio confectū, elixum, frictū, affarum, sectum tritum, fartum, puluisculis aromaticis maceratum, conditum, tostum deniq; aut alijs sexcentis cocturæ formis præparatum, non descendat. Latum igitur & laxum luxus hic aperuit cāpam ad omnem lasciuiam; nec impunè iā peccatur

Desperatio docuī polyphagiā.

Natura paucis contenta.

G caur



*Ars magyrica.*

catur hoc peccatum ac libere, sed cum labore etiam & incredibili molestia, quam coquus subit, & is cui coquitur, uterque lassus hic vorando, alter instruendo: ad palatum enim & saluam prurientis lingue accommodare debet artem, nec precepta habet aut usum, sed nutum delicias, & gurgulionem versatilem pro magistro & archintagyro. Interea tamen strage publica exhauriuntur saltus ac nemora, fontes & flumina, aer & æquor: nec natura parui edendo sufficit, quia nil sufficit diuitum mensis. Pullus & mater in eadem olla; vitinam & nidus interdum, & quæ illum concinnant. Pro perniciem? Habent adfint, quæ frænent: nam fastigio supremæ intemperantiæ insistimus; demittamus nos ad delicia sacra sobrietatis, ubi finem suum aperit natura, & effundit quod opus, & quantum.

*De credulitate.*

2. Quoad credulitatem, ea sanè aut mature admittenda, aut statim repelenda, cum nemo citius fallatur, quam qui temere credit; nemoque rectius iudicat & certius, quam qui rem exploratam habet. Homerus Vlysem, quem sapientissimum facit, non alio usum præsidio dicit, neque aliam ratione terræ marisque periculis euasisse, quam quod nemini se crediderit, & callidè consilia sua texerit. Hesiodus (ut supra annotauimus) non ab re monet, ut neque fratri quisquam ad eam fidem habeat, aut etiam negotium aliquod vel loco transigat, nisi teste adhibito. Nullus est, qui nesciat ab inimicis nobis importari grauissima incommoda; sed longè perniciosius dandum ab amico creatur in penumero; quia sit alioqui facile inimici effugere insidias, ab amico verò, aut eo qui amici nomē mētiatur, quis ita prouidè cauteque sibi cauerit, quin interdum opprimatur? Nisi molestum esset, ostenderem multo plures ab amicis quam inimicis oppressos esse: plures vrbes proditione captas, quam vi expugnatas; plures in veterum libris, ipsaque vita quotidiana reperiti amicorum questus, quam inimicorum accusationes. Ad symbolum istud *απιστίας*, obuius potest esse locus ex l. si vindicari, 20. C. de pœn. quam extrusit B. Ambrosius à Theodosio, principe nimis præcipiti ac iracundo: Esti princeps reseruet aliquem puniendum, debet iudex ad dies triginta differre, quò videat, an relaxari pœna posse videa-

*Lex Theodosij.*

tur. Qæcationem legis huius ferenda memorat Sozomen. hist. Eccles. lib. 7. cap. 24. extatque in Codice Theodosiano. Bene, inquam, iusteq; prouisum à sapiente principe, quæ facti à se pernituit, alioquin quod Iustinianus ait l. Imperialis, 23. C. de nupt. nihil est tam peculiare Imperatoris maiestati quam humanitas, per quam solam Dei seruatur imitatio. Hæc de iudicijs olim sancita. Nunc si maiorum in rebus alijs prudentiam intueamur, licebit aperte videre in tutelis pupillorum, & curationibus adolescentium minorum, ad eos nempe defendendos, qui se propter ætatis imbecillitatem defendere non possunt. Cūque intelligerent pupillos ea esse ætate, ut tutorum ope indigerent ad annum vsque 14 exactum in masculis, 15. in feminis, non minorem curam impendi voluerunt in minoribus, curatorum prudentia gubernandis, ad annum vsque vigesimum quintum. Est enim adolescentia maximè feruida, & vitij indulgens, nisi nitatur & cohibeatur auctoritate prudentum. Eleganter Horat. ad Pisones epist. de adolescente:

*Cereus in vitium flētī, monitoribus asper.*

*Vitium tardus pronisor, prodigum aris.*

*Sublimis, cupidusque & amata relinquere pernix.*

Plutarch. *περὶ ἀκούων*, idem complexus: *ἀναρχία μὲν τὴν ἐνίοις τῶν νέων ἰλευθερίας, ἀπειθευσία νομίζουσι. χαλεπωτέρους ἐκείνων τῶν ἐν πασὶ διδασκάλων ἢ παιδαγωγῶν δεσπότες εἶναι τὰς ἐπιθυμίας, ὡς περὶ ἐκ δεσπῶν λυθείσης.* Non minus eruditè Dio Chrysostomus Sophista: *χαλεπὸν ἢ νεότης, ἢ ἰυρίτις, ἢ ἰυόλις, ἢ σφοδρότητος δούται χαλινῶ.* Proinde Athenis olim adolescentēs τῶν λήξων ἤρχοντες, rei hereditariae, suorumque bonorum haberent potestatem, biennio præficiabantur curæ vicinæ regionis, hoc est, anno 18. quo ex ephēbis excedere mos illis esset ad vigesimum: tum nominabantur *περίπολοι*, vel *ἔφοδοι*, & *ἐπισκοποὶ τῆς χώρας*, post id tres fiebant *ληξίαρχοι*, & reserebātur in eorū numerum, qui suæ omnino essent potestatis, & τὴν λήξιν hæreditatem regere poterāt. Occurrit huius Emblematis occasione adagiū *Ἀμα, τανquὰ σφύγος, oderis τανquὰ σπυγίον*: Rectè id, quia fallax & lubrica multorum fides: & quod homo sit *ἰυρότατον ζῶον*, Platoni nempe: & Hesiodus præce-

*Veterum cura pro pupillis.*

*Mela multa in...*

*M. T. Terentius...*

*Quædam...*

*De...*

*De...*

*De...*

præcepit, non nisi testibus adhibitis cum fratre esse iocandum: quia sepe leuibus de causis fratrum ita acerbiores existunt. Apud Atticum Pomponium queritur Tullius de Cneo Pompeio, cui præ ceteris fidem habuerat, seque ab eo tamen proditum. Et ad uxorem Terentiam, falso se putasse ab ijs amari, qui inuidebant: eos se non secutum, qui pure amici essent. Tacti leuitate animi Athenienses, falso accepto nuncio de morte Alexandri, sed eos terraxit Demades orator aculeato verbo: Si Alexander hodie mortuus est, & cras, & perendie sic erit. Opportune vir catus induxit *ἀριστὰς*, eamq; opposuit inconsulto furori hominum, de se suisq; rebus non bene cogitantium. Apud Poetam Troiani nimis creduli, à Sinone proditi, qui suasisse equum diuina Palladis arte fabricatum intra Ilij mœnia inducendum. Mirum quantum malorum agmen secum aduehat nimia credulitas. Ea res Pompeium Magnū perdidit, populari & optimatum fidem studio, tandemq; desperatis rebus ad Alexandriæ regem miserimè profugū. Quid M. Brutum, C. Cassium præcipites egit, quàm de altera acie falso acceptū nunciū? Similem exitum naçti Antonius & Cleopatra, cum illa de Antonij morte finistrum quid, quanquam falso, accepisset. Quid mirum si in paruis error dominetur, cum etiam viros magnates opprimere soleat? Quorsum querela Comici: *Prò Deum atque hominum fidem?* & illud Ouidij: *Heu ubi pacta fides, ubi qua iuraro solebas?* Tull. item 7. Verr. Vbi fides? vbi execrationes? vbi dextra complexæ sunt? Notum de Brasidæ clypeo, quod in eos torqueri solet, qui, cum maximè opus est, fidem non seruant. Stultum ac periculosum cuius fidere: at miserum nemini fidere. Conditio misera tyrannorum, ab omnibus sibi metuentium, sed in primis Dionysij, de quo Tull. 5. Tulcul. & Val. Max. Quæ vetera & externa vt missa faciam (notiora enim sunt, quàm vt in ijs immoremur) ad quid tãdem oracula diuina nobis *τὴν ἀπιστίαν* suadent? non esse omni spiritui credendum: & tentandi spiritus an ex Deo sint: item, cauendum à fermento Pharisæorum? Deniq; illud: *Estote prudentes vt serpentes?* Illud etiam nos non fugiat Ouid. 3. Artis: *Nec citò credideris: quantum citò credere* *ladat,*

*Exemplum vobis non lesis Procris erit.*  
 Aurel. Victor. in Valentiniano: Si ei infidis hominibus, quibus sese quasi fidiissimis, prudentissimisque dederat, carere, aut probatis, eruditisque vt licuisset, perfectus haud dubiè princeps enituisset. Plaut. Trinummo: *Nimium est difficile reperiri amicum ita ut nomen cluit, quoui rem tuam credideris, sine omni cura dormias.* Hierony. ad Celantiam, de ratione piè viuendi, vbi de obrectatione: Est sanè hoc vitium, quod vel in primis extingui debeat, & ab eis qui se sanè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mētem, ac leuem faciat, quàm faciliè totum credere, & obrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur: hoc est quod sæpe de amicissimis inimicos faciat, & con cordes quidem, sed credulas animas dislociat. At contra, magna animi quies, magnaque est morum grauitas, non temerè de quoquam sinistra quid audire: beatusque est, qui ita contra vitium hoc se armavit, vt apud eum detrahare nemo audeat. Hæc ille. Huius sanè argumenti sententiã facile est in immensum excrescere: sed placeat exempli loco, verbum *μὴ μὴν δ' ἀπιστίαν*, de iudicio hominum præcipiti ac temerario intelligere, de quibus nonnunquam pronunciat quicquid citius quàm par esset, needū bene inspectis eorum moribus, qui commendantur. Sic Horar. 1. epist. 18. *Qualis commēdes, et atq; et aspice, ne mox Incutiant aliena tibi peccata pudorem.* Fallimur, & quondam non dignum tradimus: ergo *Quem sua culpa premit, deceptus omittit tueri;* *Vt positus notum, stentet crimina, seruos, Tuerisque tuo fidem praesidio, qui Dote Thonino cum circumroditur, & equid Ad te post paullo ventura pericula sentis? Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,* *Et neglecta solent incendia sumere vires.* Vt enim qui pro alio fideiubet, seque solutum constituit, tenetur ex pacti, seu stipulationis nexu pro principali debenti reo, sicubi non fuerit soluendo, aut uoxã commiserit; ita qui alium commendat non satis sibi perspectum ac cognitum, & cuius mentem, versatilem fortasse, non detexerit,

Obrectatores non audiendi.

Videndum quem commendes.

Mala multa inuexit nimia credulitas.



sui dānum pudoris fēre ac pati cogitur .  
 Grauius M. Cicero ad Brutum : Temere  
 de altero affirmare est periculosum , p̄ter  
 occultas hominum volūtates , multiplices  
 que naturas . Et Seneca , neminem citō lau-  
 daueris ; neminem citō vituperaueris . Viti-  
 um est omnia credere : Vitium est nihil  
 credere . Inter legendum sefo obtulerunt  
 exempla quādam illustria de credulitate  
 ex Amm. Marcellino . Primum quidem  
 lib. 14. de Constātio sic habet : Arelate hie  
 mem agens Constātiū , post theatrales ludos  
 atq; Circenses ambrosios editos appa-  
 ratu , ad diem vi. Id. Octob. qui imperij  
 eius annum tricesimum terminabat , in-  
 solentia pondera grauius librans , si quid du-  
 bitum deferebatur , aut falsum , pro liquido  
 accipiēs & cōperto , inter alia excarnifica-  
 tum Herontium Magnentiā comitem ,  
 partis exulari mōre multauit . Vtq; a-  
 grum corpus quassari etiam leuibus solet  
 offensis , ita animus eius angustus & tener ,  
 quicquid increpūisset , ad salutis suę dispē-  
 dium existimans factum aut cogitatū , in-  
 fontium eedibus fecit victoriā luctuosam ,  
 &c. Idem lib. 30. vbi narrat , quibus dolis in  
 terceptus & oppressus est Para Rex Arme-  
 niorum , Valentis iussu : qui quōd accepit  
 eum sibi infestum , malisq; artibus quid  
 uis facere & moliri , agēti in Armenia Tra-  
 jano , remq; militarem curanti arcanis li-  
 teris mandauit , vt regē eum quoquo mo-  
 do de medio tolleret . Itaq; ille cebrofīs re-  
 gem Parā insidijs primū ambijt , ei Va-  
 lentis litteras egregie in eū voluntatis re-  
 sis ostendit , modō se se conuiuiam ei prę-  
 buit , ad vltimum cōposita fraude ad prę-  
 dium verecūdius inuitauit . Qui nihil me-  
 tuens mali , venit . concessq; loco honora-  
 tiore discubuit : cumque apponerentur ex-  
 quisitę cupedię , & estēs pulsu neruorum ,  
 & articulo stertilique sonitu resultarent ,  
 iam vino incalcente , ipso cōiuij domi-  
 no , per simulationem naturalis cuiusdam  
 vrgentis egresso , gladium districtum intē-  
 tans , toruo lumine ferociens quidam im-  
 mittitur barbarus , asper , ex his quos Su-  
 pras appellant , confosurus iuuenem , ne  
 exilire posset etiam tum p̄peditum . Quo  
 viso , regulus fortē prominēs vltra torum ,  
 expedito dolo allurgens , vt vitā omni ra-  
 tione defendet , perforato pectore de for-  
 mis procubuit victima , ictibus multiplica-  
 tis sedē concisa , Hocque figmento netatiē

Constan-  
tius; cre-  
ditus

Paraxox  
Armeni  
a Valenti  
oppressus.

decepta credulitate inter epulas , que reue-  
 renda sunt vel in Euxino ponto , hospitali  
 numine cōruente , peregrinus cruor in am-  
 bitiosa toralia spatūs , & spumans satietati  
 superfuit , conuiuarum horrore maximo  
 disperforum . Libro verō vltimo , qui est  
 31. de Valente : Illud ferri non poterat ,  
 quod cum legibus lites omnes quęstiones  
 committere veteres vellent , destinatq; ve-  
 lut lectis iudicibus negocia spectāda mā-  
 dabat , nihil agi contra libidinem suam pa-  
 tiebatur , iniuriōsus alijs & iracundus , &  
 criminantibus sine differētia veri vel falsi  
 facillimē patens , quę vltiorum labes etiā  
 in his priuatis quotidianisq; rationibus  
 impendio est formidanda . Seneca , de quo  
 supra facta mentio , epistola 3. non minus  
 esse vitiosū credere omnibus , quā nemi-  
 ni disputat , eodem cum Hesiodi carmine  
 sensu , *πισεις η̄ απιστια ἀλεσαν ἀνδρας* .  
 Si aliquem amicum putas esse , cui non tā-  
 tum habes fidei , quā tibi , vehementer  
 erras , & verę amicitie vim nōdum tenes .  
 Tu , omnia cum amico delibera , sed de ip-  
 so prius . Post amicitiam credendū est , an-  
 te amicitiam iudicandum . Diu cogita , an  
 tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit :  
 cū fieri placuit , toto illum admittite pec-  
 tore : tamq; audenter cum illo loquere ,  
 ac tecum . Quid est cur me coram illo non  
 putem solum ? Quidam quę tantum ami-  
 cis committenda sunt , obuijs narrāt , & in  
 quaslibet aures , quicquid illos vrit , exone-  
 rant : quidam etiam rursus charissimorum  
 cōscientiam reformidant , & si possent , nec  
 sibi quidē credituri , interius prenunt om-  
 ne secretum ; neutrum faciendum est , vtrū  
 que vitium habet . Citatur de credulitate  
 hoc Menandri :

Ὁ ἀροκαταζυγώτων δὲ ἐπὶν ἀκῆστα σαφῶς

Ἄν τις πομπὸς ἰσὶ , πισύσας κακῶς  
 Quicumq; damnat , remq; nō plane audijt ,  
 Est improbus vir , ideo quod credit male .

Item illud :  
 Μὴ πάντα περὶ πάνσι πισίειν εἶ .  
 Credenda cunctis esse cuncta ne putes .

Ne nimis multa , vtrumq; verbum , vñ φε. η̄  
 μὲν ἠσ' ἀπισίειν , referri nihil videtur  
 posse ad illud Chilonis generalius , μὴδὲν  
 ἀγαν , quo innuebat in hominum consue-  
 tudine omni , debere omnia esse modera-  
 ta , scilicet amicitia non effusā aut dissolu-  
 tam , sed sobriam ac verecundam , cū ni-  
 mia

Valenti  
nimia cre-  
dulitas

Seneca li-  
cus de cre-  
dulitate

Nō quicquid  
in amicitiam  
recipiendus .

mia interdum familiaritas cōceptum pa-  
riat. Vnde nobis Germanis trijūm sermo-  
ne prouerbiū: *Alles leut freund, ieder-  
mans Geck*. id est omnium amicus, singu-  
lorum fatuus. Id mouit Valerius Mar-  
tialis antē ceterat:

*Si vitare uoles acerba quadam,*

*Nulli te facias nimis sodalem:*

*Gaudebis minus, at minus dolebis:*

Queritur non illepidē Catullus, sed non  
sine stomacho tamen, de amici læsa fide,  
his omnino uerbis ad Alfenum:

*Alfene, immemor atque unanims false so-*  
*dalibus,*

*Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amicu!*

*Iam me prodero, iam non dubitas fallere,*  
*perfide?*

*Nec facta impia fallacium hominum cœli-*  
*colis placent,*

*Qua tu negligis, ac me miserum deseris in*  
*malis.*

*Eheu, quia faciunt dic homines, cuiue ha-*  
*beant fidem?*

*Certe tute iubebas animam tradere, inique,*  
*me*

*Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi*  
*forent.*

*Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia,*  
*factaque*

*Ventos irrita ferre, ac nebulas aërem suis.*

*Si tu oblitus es: at Di; meminere. memi-*  
*ni Fides.*

*Qua te ut pœniteat postmodo facti faciet tui.*

Idem alio loco ad *Atisiam* uocat, pertaxus  
alium amici ueteratoris: (71)

*De sine de quoquā quicquā bene uelle mere-*  
*Atq; aliquem fieri posse putare pium.*

*Omnia sūt ingrata, nihil fecisse benignè est.*  
*Iamò etiam taces, taces, obestq; magis.*

*Va mihi, quem nemo grauius, uel acerbius*  
*urget,*

*Quam modò qui me unum, atq; unicum*  
*amicum habuit.*

Exempla isthac adeo multa nos commo-  
nent, sed grauius afficiunt nostra, qui ab ijs  
audacissimè fallimur, qui nobis secundum  
Deum animam debent: imò nullos nacti su-  
mus hostes capitaliores, magisq; despera-  
tos, quam qui nostris auspicijs, opeq; una  
sunt euecti: ex quo fateti uetus illud cogi-  
mur. *Benefacta male locata, pro malefactis*  
*arbitranda.* Non præteribo lepidum pro-  
uerbiū, Germanis nobis uisitatū, quod  
sic sonat:

*Travv nicht dem VVolff auff der Heyd,*

*Dem Bawren nicht auff seinem eyd,*

*Dem Iuden nicht bey seinen grvvisen,*

*Du wirst von allen dreyen b'schiffen.*

Quod sic uerit Ioannes Buchlerus, de re  
litteraria benè meritis:

*Credere iuranti Superos, per & astra colena,*  
*Nitiq; conscientia*

*Iudai, siluisq; lupo consistere in ipsis.*

*Errore complet plurimos.*

Itaq; fide, sed cui uide; nam

*Qui leuiter uotis nimium confidit amici,*

*Fallitur, & cordis dicitur esse leuis.*

Sed de credulitatis materia longior esse  
oratio ex multis exemplis: quadam satis  
erunt. Dion periit, quanquam suspica-  
retur insidias sibi strui à Calippo, sed ue-  
ritus est obseruare amicum & hospitem.  
Antipater Cassandri filius, uocato ad cœnā  
Demetrio, illoque uicissim sequenti die vo-  
cante, ueritus ei diffidere, à cœna oppres-  
sus est. Sed ne longior sim, lege orationem  
Dionis Chrysof. *περὶ Atisίας.*

